

Judices Ordinarios Regni verberantis, poena notae infidelitatis.

Articulus 19.

Si qui Proto-Notarium, Vice-Palatinum, Banum, Vice-Banum, Comitem, vel Vice-Comitem, vel alios Judices Ordinarios Regni nostri, tempore Sedis Judiciariae, aut etiam alias; sine causa verberarent, interficerent, aut captivarent; habita superinde probatione legitima, in nota et poena perpetuae infidelitatis, convincentur.

MATTHIAE I. SEU CORV. REG. DECRETUM III. ANNI 1471.

Castra Regis et aliorum, non aliis, quam Ungaris, conservanda assignentur.

Articulus 6.

Item, quod tam Regalia, quam Baronum et aliorum omnium Nobilium Regni nostri Castra finitima, in partibus scilicet superioribus et inferioribus; sive in Regnis Sclavoniae, Dalmatiae, *) Croatiae et in partibus Transylvanis habita; ad conservandum Ungaris (personis scilicet dignis, et idoneis) et non Forensibus, collocentur.

MATTHIAE I. SEU CORV. REG. DECRETUM IV. ANNI 1478.

Judicia generalia non celebrentur, nisi in certis Comitatibus.

Articulus 7.

§. 1. Dempis Comitatibus, Posega, Walko, Sirmiensi, Baronya, Chandiensi, Themesiensi, Zarand et Orodienti, in quibus diversa furticinia, latrocinia, mutilationes, hominum venditiones, decollationes, aliaque multiplicia malorum genera committi dicuntur.

MATTHIAE I. SEU CORV. REG. DECRETUM V. ANNI 1481.

Rasciani, ad decimas solvendas non teneantur, nec propter eos Ecclesiasticum interdictum Christianis imponatur.

Articulus 3.

Item, quod Rasciani et caeteri hujusmodi Schismatici, ad solutionem decimae, non adstringantur, et neque per Comites Parochiales instar aliorum, ad hujusmodi decimarum solutionem compellantur.

§. 1. Quodque ad Christianos (in quorum medio tales Schismatici morantur, aut e contra) ratione ipsorum Schismaticorum, ob non solutionem decimarum, interdictum Ecclesiasticum non imponatur.

*) De Castris Dalmatiae, quorum hic mentio, vide infra Anni 1596. art. 32. et Imaginem Ung. Novae, pag. 208. et seq.